[P]HILOCHEMICIS HELI-
[E]PHILVS A PERCIS PHILOCHE-
micus. S.

AD aſſerendam veritatem artis chryſochemicæ (quanquam ea multorum impoſtura peſſimè audit, & à prudentib. ac cætera doctis, quaſi nulla eſſet, planè proſcribitur) hanc diſquiſitionem in[s]uere viſum eſt, qua cauſæ aperiuntur ejus difficultatis, ac [qu]id ſentiendum ſit, certis indiciis oſtenditur, HELIA artis [q]uem vocant) in lucem producto. Itaq; patientem Lector [h]ic diſquiſitioni aurem accommodabit, dum quid ſibi Heli[us] velit, perpenderit, ut metallorum transformationem re[ct]ius intelligat.

[C]onſtat inter eos, quorum ſententia chymiæ adverſaria [est], nullos magis obniti, quàm Phyſicos & Theologos. V[tri]q; quæ ex principiis & fontibus naturæ hauriunt, quibus [effi]cere conantur transformationem metallicam partim [ἀδ]ύνατον eſſe, partim ordinē creationis adverſari, in progreſſu [...]ius tractionis diſputabimus. Quæ autem merè Theologica [su]nt, & cum principiis phyſicis parum aut nihil commune ha[be]nt, ea paucis nunc præfando quaſi delibabimus. Sunt au[te]m ferè duûm generum: ab Exemplo & uſu. Exempla ſin[gu]larium & univerſorum.

Prioris generis argumentum præbet hujusmodi.

[O]mnes ſcientiæ naturales ac licitæ notæ fuerunt Salomoni: Scien[tia a]rtis chemicæ, quæ transformationem metallorum docet, Salo[mo]ni fuit ignota:

Ergo ſcientia artis chemicæ, de metallorum transformatione, nec naturalis, nec licita putanda eſt.

[P]Ropoſitionis vis inde dependet, quod omnium mortali[]um ſapientiſſimus fuerit Salomon, non ſolùm recti judicij excellentiâ, & actione ac prudentia politica, ſed etiam, [qu]od de omni quæſito rerum naturalium & contemplatio[ni]s phyſicæ diſſeruerit, à Cedro Libani usq; ad hyſſopum pa[ri]etis, & de jumentis volucribus & de reptilibus ac piſcibus: [u]nde Reges univerſæ terræ, & imprimis Auſtri Regina illa ſa[pien]tiſſima (ut priſcis olim Philoſophis apodemicis uſu venit) [a]d eum audiendum acceſſit. 3. Reg. 4. 10. Itaq; major propo[ſit]io videtur ἀνένςατος.